



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De dignitate animæ, & vilitate corporis, 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

inutilia finimus vagari. Nimis tamen difficile est cor tenere, & ab illicita cogitatione fervare. Nimis etiam difficile est terrenas occupationes absque peccatis ministrare. Quapropter nullus semetipsum dijudicare & comprehendere perfecte potest: sed multis cogitationibus occupatus, sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat, nesciat. Propterea urgente exitu subtiliori terretur metu, quia etsi illa quæ scivit, nunquam se prætermisisse meminit, formidat tamen ea quæ nescit.

CAPVT III.

De dignitate animæ & vilitate corporis.

1. **O** Anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, unde ista pateris? Propter carnem, aliena peccata tibi imputantur: & tuæ iustitiæ quasi pannus menstruatae reputantur: atque tu ipsa ad nihilum es redacta, & quasi nihilum & inane reputata: Nihil aliud est caro (cum qua tanta est tibi societas) nisi spuma caro facta, fragili vestita decore: sed erit, quando erit cadaver miserum & putridum, cibus vermium. Nam quantumcumque excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres, quid per os, & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinum nunquam vidisti. Si singulas ejus miseria

rias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, & in omne vitium proclivis, plenam omni confusione & ignominia invenies. Propter carnem homo vanitati similis factus est, quia ex illa vitium concupiscentiæ trahit, quo captivus tenetur & incurvatur, ut diligat vanitatem, & iniquitatem operetur.

2. Attende, homo, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occasum; atque quid eris post hanc vitam. Profecto fuit, quod non eras: postea de vili materia factus, & vilissimo panno involutus, menstrualis sanguine in utero materno fuisti nutritus, & tunica tua fuit pellis secundina:

Sic indutus & ornatus progressus es ad nos;

Nec memor es, quam sit vilis origo tui.

Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque

Subripuere tibi noscere quid sit homo.

Nihil aliud est homo, quam sperma foetidum, saccus stercoreum, cibus vermium.

Post hominem vermis, post vermem foetor & horror;

Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Cur ergo superbis, homo, non attendens quod fuisti vile semen, & sanguis coagulatus in utero? deinde miseris hujus vitæ expositus & peccato, postea vermis, & cibus vermium futurus in tumulo? Quid superbis, pulvis & cinis, cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere poena, mori angustia?

Vnde superbit homo, cujus conceptio culpa.

Nasei poena, labor vita, necesse mori?

CUR

Cur carnem tuam preciosis rebus impinguas, & adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro? animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præsentanda est in calis?

3. Quare animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusus est. Totus quidem iste mundus ad unius animæ precium æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ precium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne Dei filius, cum esset in sinu Patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam liberaret à potestate diaboli? Quam cum vidisset peccatorum funibus irretitam, jam jamque dæmonibus tradendam, ut morte perpetua damnaretur: flevit super illam, quæ flere se nesciebat. Nec solum flevit, sed etiam occidi se permisit, ut pretioso sanguinis sui pretio eam redimeret.

Aspice mortalis, pro te datur hostia talis.

Agnosce homo, quam nobilis est anima tua, & quam gravia fuerunt ejus vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Noli ergo vilipendere animæ tuæ passionem, cui à tanta
maje-

majestate tantam vides exhiberi compassio-
nem. Fudit ipse lachrymas pro te; lava &
tu per singulas noctes lectum tuum cordis
compunctio, & lachrymarum assiduitate.
Fudit ipse sanguinem suum; funde & tu
tuum quotidiana corporis afflictione. Quem
si semel ponere pro Christo non potes, sal-
tem mitiori quodam, sed longiori martyrio,
pone. Noli attendere quid caro velit, sed
quid spiritus poscit. Tunc enim gloriosus
erit, cum ad Deum suum redierit: ita tamen
si de corpore nullum peccatum secum tulerit,
& detulerit omne fordidum.

4. Si vero dices, Durus est hic sermo;
non possum mundum spernere, & carnem
meam odio habere: dic mihi, ubi sunt ama-
tores mundi, qui ante pauca tempora nobi-
scum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cine-
res & vermes. Attende diligenter quid sunt,
vel quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu;
comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt
in bonis dies suos, & in puncto ad inferna
descenderunt. Hic caro eorum vermibus,
& illic anima ignibus deputatur, donec rur-
sus in foelici collegio colligati, sempiternis
involvantur incendiis, qui socii fuerunt in
vitiis. Vna namque poena implicat, quos
unus amor in crimine ligat. Quid profuit
illis inanis gloria, brevis laetitia, mundi
potentia, carnis voluptas, falsae divitiae,
magna familia, & mala concupiscentia?
Ubi risus, ubi jocus, ubi jaectantia, ubi ar-
rogantia? De tanta laetitia, quanta tristitia!
Post tantillam voluptatem, quam gravis
T
mise-

miseria! De illa exultatione ceciderunt in magnam miseriam, in grandem ruinam, & in magna tormenta. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest; quia homo es. Homo de humo, limus de limo. De terra es & de terra vivis, & in terram reverteris; quando venerit dies illa ultima, quæ subito venit, & forsitan hodie erit. Certum est, quia morieris; sed incertum, quando, aut quomodo, vel ubi. Quoniam mors ubique te expectat: tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. Si carnem sequeris, punieris in carne. Si in carne delectaris, cruciaberis in carne. Si curiosas vestes requiris, pro ornatu vestium subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iustitia enim Dei aliud judicare non potest, nisi quod merentur opera nostra. Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem; sequitur diabolus, & ibit cum eo in supplicium æternum.

5. Quis putas tunc moeror erit, quis luctus, quæ tristitia, cum separabuntur impii à consortio Sanctorum, & visione Dei; & traditi in potestatem dæmonum, ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu & gemitu? Procul quippe à beata Paradisi patria exulati, cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi. Vbi nec qui torquet

quet aliquando fatigatur; nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet: sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Iuxta vero qualitatem culpæ, pœnam sustinebit unusquisque gehennæ: & similis culpæ rei suis similibus jungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur, nisi fletus & planctus, gemitus & ululatus, mœrores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur, nisi vermes, & larvales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmonum.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis.

Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, & timor horrens.

Ardebuntque miseri in igne aeterno, in æternum & ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientia vermum. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, foetor incomparabilis, mors animæ & corporis, sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant: & sic vivent, ut semper moriantur. Ita anima peccatoris, aut in inferno pro peccatis cruciatur; aut in Paradiso pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo alterum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis. Bonum siquidem & malum, vita & mors, ante nos sunt posita; ut ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, saltem invitent præmia.